DE

IANUARII CAROLI BORBONII

VITA

COMMENTARIOLUM

AUCTORE NICOLAO ROSSIO.


IN ARCHIEPISCOPALI LYCEO HUMANARUM LITERARUM PROFESSORE.



Ευδαιμονια του πατρος υιος νουν εχων

Lætitia Patris filius ſapiens

Menander.



JANUARIUS CAROLUS FERDINANDI IV. ET MARIÆ CAROLINÆ AUSTRIACÆ FILIUS BORBONIUS. Hujus nisi vitam (si vita appellanda est) intra pueritiæ fines natura coërcuisset : nullum profecto, quicum comparandus foret, haberemus. Natus est Herculanei (quod oppidum abest a Neapoli tria ferme passuum millia) pridie Idus Apriles uno & vigesimo post anno quam a Patre Siciliæ tenerentur. Regina autem cum parturiret, neque eo partu levari posset a Divo JANUARIO opem imploravit. Qua celeriter impetrata, beneficii ergo, quod Se ventremque servasset, nato nomen ejus imposuit. Ortu ejus Neapolitani Regni firmata securitas. Quamvis enim ab importuno CAROLI TITI natu majoris obitu confectæ mœrore Siciliæ in uno FRANCISCO BORBONIO, qui alter

natus erat, uti nunc, ita olim superstite de sua stabilitate satis tutæ crederentur; nulla tamen tanta, tamque inopinata felicitate quam Januarii natali die exhilaratæ sunt. Solent enim urbes Regum suorum filios altero loco natos ea prope lætitiæ significatione, qua natu majores, excipere. Ex quo facile potest evinci, quanta cura Januarius aleretur.

Hic autem cum octimestris esset in quandam implicatissimi morbi speciem incidit, a quo adeo crudelissime attentatus est, ut nonnisi quarto post anno expediri valuerit. Hoc in tempore ne tantulum quidem interquievit a dolore. Sed cum aliæ ex aliis diriores quotidie fierent morbi accessiones, ut nonnulla etiam per corpus ulcera erumperent; constantia Ejus in eo primum probata est. Constat enim in ipso nudatorum vulnerum attrectatu adeo se fortem præbuisse, ut non exclamarit modo, sed ne ingemuerit quidem. Quare si fictis vera unquam componere liceat infirmi præ Eo animi ipsum Herculem putamus, quem tunica Centauri sanguine imbuta a Dejanira vestitum magnitudine doloris in Oeta ejulantem Sophocles inducit. Ex quo fiebat, ut & Hyacintham Ritiam feminam probatissimam cubiculi sui magistram statis horis medicamenta præbentem humanissime exciperet, & cubicularias ministerio suo dicatas, quantum posset minime, interpellaret. Atque illud etiam notatu dignum, si quando eas advocare cogebatur morbo, adeo id quidem moderate fecisse, ut pro ministerio ab iis Sibi diligentissime præstito vel gratias ageret vel donatas dimitteret. Afflictabatur etiam debilitate

cru-

crurum maxima. Itaque cum pedibus ambulando non esset: gremioque nutricis, vel sessitare, vel vehiculo ad id facto per ædes regi cogeretur, eam calamitatem moderate tulit: tantumque abfuit a querela, ut Germanarum lusitantium spectaculo sine invidia delectaretur: illud, quod a præceptore acceperat, usurpare solitus, ferendi doloris constantiam cuivis esse corporis firmitati nobiliorem.

Is, uti modo diximus, quarto anno invaluit a morbo. Fuit autem Puer forma bona, statu incessuque regio, habitu vero corporis tenui, quales ingeniosi esse solent. Frons, oculi, vultus, omnis denique motus expressam quandam sapientiæ imaginem referebant. Quin ipsa pueritia videbatur in Eo canescere, atque suam quasi habere senectutem. Ad hæc corporis plura animi bona accesserunt. Erat enim ingenuus, ad omnes res docilis, prudens, liberalis, blandus, pietate summa, memoria pene divina, ut miraculo esset universis, qui possent tanta in Eo uno vix puero tam belle componi. Excogitabat prompte, loquebatur concinne, respondebat acute. Ex quo factum est, ut omnibus unus merito esset carissimus.

Educatus est a Rosa Caracciola primaria rarissimique exempli femina, ad quam veluti ad emendatissimam pietatis effigiem ob oculos Sibi usque obversantem ineuntis suæ vitæ actus conformare magnopere studuit. Christianæ vero Religionis officia a Josepho Rossio, viro pietate, ac doctrina æque spectatissimo eruditus est: a quo & Historica, tum sacra, tum profana, & Geographica arripuit. At Latinitatis præceptorem habuit

buit Nicolaum Ignarram præstantissimum nostris temporibus eruditæ antiquitatis investigatorem : quos adeo studiose audivit, ut quamdiu doceretur, magistra voce, veluti avis cantu aliquo, intentum animum vultumque haberet. Ex quo fiebat, ut cum horæ audiendo destinatæ, citius sibi, quam putarat, dilabi viderentur, præceptores sæpissime, ut pergerent, oraret.

Hæc autem tanta sciendi cupiditas, ut in nullo unquam flagrantior, nobili experimento comprobata est. Nam cum moneretur a Patre, ut postridie mane ad naves, quas contra prædones recens extruxerat, secum esset iturus: omnem Ille diligentiam adhibuit, ut in re nautica per quam minime rudis appareret. Quare doctissimos viros Sibi intimos ad se advocavit in primis Joannem Viventium Regis Archiatrum, quem Catonem suum Puer appellare solebat, eumque sollicite cœpit rogare, ut de ea re, quantum temporis paterentur angustiæ, edoceret. Ejus cupiditati ille vir paruit; multisque cum de navium constructione, tum vel maxime de acu nautica concinne, accurateque expositis, tanta celeritate Januarius dicta arripuit, ut non dum illa primum discere, sed reminisci videretur. Ut autem ad naves venit ibi præsente Patre ea classiariis percunctando proposuit, ut nihil aliud, quam illud unum Regium Puerum nosse, qui aderant, judicarint. Bene ergo Socrates cum quendam pusionem de dimensione quadrati interrogasset, & ille interroganti perinde respondisset quasi Geometrica didicerit, affirmare non dubitavit, discere nihil aliud esse, quam recordari.

De-

Delectabatur autem mirifice lectione librorum. Magistram cubiculi, quam supra laudavimus, anagnostis loco adhibebat. Cornelium Nepotem vel studiose legebat, vel multa illorum virorum facta memoriter jucundeque recitare solebat. Attigit Mathesim. De fabulis degustavit nonnulla. In Geograficis cum non haberet quocum certare posset secum Ipse certavit. At in historicis, supra quam posset effingi, valuit. Ad quæsita hilarissime accedebat, quæ a Præceptore elaborata, diligentiæ suæ acuendæ gratia sorte ducebantur: erant enim aleæ fere octoginta certis quibusdam consignatæ sententiis, quibus Romanæ [illegible] continebantur. Quamobrem cum sortes turbandæ erant adeo Ille animum arrigebat, quasi e quovis aleæ conjectu de sua existimatione dijudicaretur. Itaque non miramur illud Ei morienti accidisse, cum sopiretur morbo, lectoque, qui ex intimis aderant, multa de Januario Matre coram prædicarent, præceptorem de suo addidisse nihil in Puero admirabilius, quam quod tam belle per quæsita, ut nihil supra, responderet. Placuit id Matri atque ab illo viro petivit, ut in præsentia aliquo exemplo uteretur: cumque ille *ambitiosum sibi uni amicum* pronuntiasset, ex improviso Januarii vox exaudita est Tarquinium Priscum submisse respondentis. Juverit adnotasse id, ut si tanta in pene mortuo, quanta in vigenti corpore memoria extiterit, per se quivis intelligat.

Præter autem ea, quæ enumerata sunt, vel alia adsunt ingenii documenta, quibus in Christianæ Religionis notitia, quantus Ille fuerit, judicari possit. Nam Capycius Cardinalis Zur-

Zurlus Neapolitanæ Ecclesiæ Archiepiscopus, cum Regem Casertæ rusticantem convenisset, rogatus ab Eo fuit, ut, ne otiaretur, Januarium filium de Christiana doctrina interrogaret. Itaque Puer, qui illa hora nescio quo ludicro intus detinebatur, ad Patrem confestim advocatus est. Quorum ut in conspectum venit, vultum ad gravitatem, uti par erat, composuit, institutaque concertatione, adeo scite interroganti responsa reddebat, ut non tyronem, sed exercitatissimum militem in Christiana Schola se se præbuerit. Quo experimento habito, cum Ipse ad piissimum illum Senem accessisset, quæsissetque ab eo Patrem oraret, ut proximo die Solis cum ad mensam adhiberet: Vir ille non restitit: eaque voce, quanta a Rege aliud interea agente posset exaudiri. *Ergo*, inquit, *mi Puer, ad mensam vis a Patre adhiberi?* Cum Rex subaudisset id, Præsulemque rogasset, quid Puer vellet ab eo; Atque ille, *ut tu Rex, ad mensam die Solis adhibeas*. *Faciam*, inquit Rex. Sed Puello morte occupato præstare, quod pollicitus erat, non potuit.

Fuit præterea Jannarius inter maritimi exercitus Duces a Patre adlectus. Quapropter nihil sibi magis expedire ratus, quam ut militari disciplina initiaretur, plurimum studii consumebat in armis. Regia Majestas periclitata est hoc loco. Constat enim a venatu Regem quodam die redeuntem, cum corporis custodes, qui ad Regiæ limen in statu graduque de more aderant, præteriisset, Januarium introrsum uti veteranum militem in suo gradu stantem, itaque in armis belle composi-tum

tum ex inopinato offendisse, ut contineri non potuerit, quin commendata strenuitate Puerum suavissime deoscula159retur. Qua gloriola Ille elatus majora cœpit appetere. Itaque aucupabatur tempus rogandi Patrem, ut primo quoque tempore, nobiliori militiæ gradu cohonestari pateretur. A quo cum sæpissime postulasset idem, illud responsum tulisse dicunt, Regis Angli filium ad rigidiorem militiæ disciplinam a patre esse institutum. Ceterum tum Se postulata facturum, cum Ipse procul domo aliquo insigni bello suam virtutem probavisset.

Neque magis sapientia valuit, quam liberalitate. Hujus benignitatis quamplura extant memoriæ digna: in primis illud cum curru regio præter mare vectus in duos enectos fame puerulos super quodam aggestu ruderum sine ullo amiculo cubantes oculos forte conjecisset, captus misericordia fuit: vultuque æque concitatissimo, ac si infandum aliquod conspexisset, digitum eo intendens a Præceptrice quæsivit, num tanta illa solitudo levari posset. Liberaliter illa respondit. Itaque reversus domum, Matri rem narrat: præceptorem in consilium adhibet: deliberant pueros in egenorum comune Hospitium intrudi oportere. Quamobrem dat ei negotium: rogat, ut quam maxime curet: pollicetur omnia de suo præbiturum. Sed verens, ne beneficio suo aliquid moræ poneretur, præceptorem in singulas fere horas interpellabat, ut sibi mandatam rem quam citissime conficeret. A quo cum audiret expectandum esse tempus, quoad usque vestes assuerentur, haud obscure significavit, quam ægre id ferret. Re autem haud diu post confecta,

pue-

pueri nova veste induti cum Hospitii Moderatore ad eum introducti sunt. Qui ubi adfuerunt, ad sanctissimæ disciplinæ rationem gravissimis verbis adhortatus, illos æque atque omnes Hospitii alumnos, tamquam Sibi conjunctissimos Moderatori commendavit. Hi tandem dimissi ab Eo, donati pecunia redierunt.

Utebatur autem ludo non liberali modo atque ingenuo; sed sapiente, & modico. In pluteo sæpe castra fingebat. Nonnunquam clarorum virorum effigies, quarum multam copiam Sibi comparaverat, oblectabatur tuendo. Literulas plerumque singulari elegantia exarabat in mundo. Ad prælum exiguæ quidem molis, sed ad typographicam rem omnem commodissimum, manus dexterrime admovebat. In spectaculis illustrium fabularum a Prole Regia domi per otium celebrari solitis primas agebat. Nihil denique erat, quo Ille non aptissimus & haberetur, & esset. Pietatis vero exercitia accurate obivit. A vitæ norma sanctissime a Matre instituta ne latum quidem unguem discessit. Commissa fide religiose servavit. Quapropter, ut arcano assuesceret, magnifice donabatur a Patre. Quidquid autem vellet, consequebatur suis argutiis. Itaque si quid petitu arduum Germanis erat impetrandum Januario cura mandabatur: quod nunquam non prospere cessisse Ei accepimus. Nihil dicam de singulari pietate in Parentes, fide in Fratrem, liberalitate in Sorores, humanitate in omnes. Multa ingeniose acuteque dicta feruntur Ejus: in primis aureum illud, cum Patrui morte Ei nuntiata, humanam vitam *malorum struem* pronuntiavit.

Is cum

Is cum nonum annum ageret, tantisque ea ætate virtutibus esset, ut summam spem, quam de Eo jam puero universi habuerant, longe multumque superaret, accidit ut variolarum morbo ea sane tempestate per Europam impotentius grassante, Casertano prætorio corriperetur. Quem ferunt lecto cubantem, dum morbus sese ipse teterrime aperiret, rogasse Matrem, quare non Sibi, ut Fratri majori natu variolas inoculasset. In Eo curando medici summam diligentiam adhibuerunt, sed vim morbi effugere non potuerunt. Interrogantur de morbo, suspiciose respondent. Januarius non pertulit id, atque ea oris, ac vocis constantia, quanta sane viro par erat. *Heus*, inquit, *rem intelligo*. Itaque Ipse moriens de sua magis liberalitate sollicitus, quam Thebanorum ille Imperator apud Mantineam de clypeo, mulierculam quamdam, quam de suo alere solebat, Matri commendavit: itemque, ut servo Sibi fidelissimo jam mortuo sacra celebrarentur, edixit. Tum nihil magis veritus, quam ne suas rationes impeditas relinqueret, quantulum Sibi erat argenti ad Se jussit afferri, eoque modulo dispertitus est, ut non puer mori, sed diligens paterfamilias videretur. Jamque impendentem mortem minabantur omnia; cum ipse Patrem coram flentem obtestatus, ut si quid peccasset, ignosceret, veniam supremo petere a Matre voluit. Scimus Matrem non id tulisse, & lacrimantem in interiores ædes se se recepisse, neque prius inde, quam tristi nuntio accepto, exisse. Ipse vero Præceptorem, quem a latere nunquam discedere passus est rite persolutis, quæ erant pietatis officia, religiose identidem

dem sciscitabatur, num singula sancte confecisset, an aliud superesset, quod Ipse facere prætermisisset: monitus, ut quiesceret pacatoque animo esset ad tranquillitatem semet composuit. In eo statu aliquandiu commoratus, tandem morte, placidissimo veluti somno correptus, suæ magis, quam nostræ felicitati consuluit. Decessit autem tertia fere ante diem hora, qui dies est ad immortalem memoriam tantæ Animulæ postridie Kal. Januarias. Corpus ejus Casertana urbe Neapolim noctu transvectum est. Deinde postero die vesperascente cœlo, multa populi frequentia, via Toletana elatus est cum lacrimis. Sollemnia funeris in templo S.Claræ more majorum peracta sunt. Sepultus est in Sacello Regum Borboniorum apud pretiosos cineres Caroli Titi Fratris desideratissimi. Post non multo maritimi exercitus Duces adparatissima pompa funeris extructa in æde S. Mariæ Angelorum in Hechia Commilitoni suo justa persolverunt. Nonnulli laudationes conscripserunt; quarum nobiliorem judicamus nullam, quam quæ a Joanne Viventio exarata est. Quare dolentissimos tantæ jacturæ ad illas paginas delegamus.